


nis in disputando ambiguitas tolleretur.

CAP. XLII.

Origeniani vnde dicti. Erroris autem eorum
caput vnum recensetur.

 *Rigeniani² à quodam Origene dicti sunt, non ab illo, qui ferè omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel sectatoribus eius Epiphanius loquens, Origeniani, inquit, sunt cuiusdam Origenis discipuli, turpis autem sunt operationis. Isti sunt nefanda facientes, sua corpora corruptioni tradentes.*

1 *Origeniani.*) Pauca sunt omnino quæ de hac hæresi dici queant, cum præter vnum Epiphanium nemo fide dignorum scriptorum scripserit, atque is ipse breuissimè. Authorem non nominat siue Origines, siue Origenius dictus sit, ex propagine tamen Gnosticorum, & imprimis Epiphani, qui fuit Carpocratis filius, errore profectum esse hoc malum putat. Cuius aliquot vestigia etiam ipsius Epiphaniij seculo in aliquot Palæstinæ ciuitatibus mâserant. Postea verò prorsus deleta sunt & extincta. Cœpisse verò videnter isti paulò post Gnosticos. Habitu certè & professione monasticæ vitæ se plurimum commendarunt, quæ fuit turpissimarum actionum, & in his & in alijs obscurissimum velum. Vnde non est vero absimile hunc Origenem fuisse senem illum qui in Ægypto Antonij Magni discipulus vixit, & Monachismum professus est, de quo Sozom. lib. 7. cap. 30. Nec mo-